

comperta tamen mera rei veritate, ex paratis pecuniis, vel iisdem non existentibus, ex Juribus possessionarijs debitorum, creditoribus, quibusvis Juridicis remediis ob stare non valentibus, plenariam satisfactionem impendere possint et valeant; relicta tamen parti succumbenti facultate appellandi, iuxta Leges et Consuetudinem Regni.

Articulus IX.

Articulum de liquidis debitis editum, Status et Ordines, propter plurimos excessus, sic intelligere deinceps volunt: ut posthac prius appellatio transmittatur in Sedem Judiciariam Comitatus, et reuideatur, et sic postea executio subsequatur; Relicta nihilominus parti succumbenti facultate extra Dominium, iuxta Consuetudinem et Leges Regni, ulterius appellandi.

Articulus X.

Praeterea statuitur, ut Strigas, Sagas et Uneficas, ubiuis in hoc Regno degentes et repertas, Incolae eorundem locorum libere captiuare, et ad Dominum eorundem Terrestrem deducere, qui easdem sub amissione patibularium pro demerito punire possint ac ualeant.

Articulus XI.

Statutum insuper est: Vt Vice-Comites et Iudices Nobilium penes querelas procedere executionesque peragere valeant, ante Terminum Diaetae, in Regalibus suae Maiestatis specificatum; exceptis tamen quindecim diebus, eiusmodi Diaetam imediate praecedentibus.

Articulus XII.

Quantum ad breuis Articuli Poseniensis, de occupationibus et violentiis editi, explicationem attinet, Status et Ordines Regni, in depositione Juramentorum hactenus observatum morem ac Consuetudinem intra ambitum huius Regni deinceps itidem retinere volunt.

Articulus XIII.

Statutum insuper est: ut iuxta Articulos superiorum Annorum, Reverendissimus Episcopus Zagrabiensis, tanquam Dioecesanus, censuris Ecclesiasticis procedat contra haeretica prauitate imbutos Ciues et Incolas Ciuitatis Varasdiensis ac alios etiam Regnicolas haereseos notatos.

Articulus XIV.

Quoniam in Regno plurimae querelae exaudiuntur eorum, quorum praedecessores, vel etiam ipsimet, Bona seu Jura possessionaria ipsorum aliisque usque ad tempus inscripissent et oppignorassent, huiusmodique Bona oppignorata, vel quia paria Litterarum Inscriptionalium Iniuria temporum amittentes non haberent, vel quia Centum florenos Hungaricales summa Inscriptionalis excederet, a possessoribus, etiam deposita Inscriptionis Summa, rehabere minime possent, sed